



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Cap. IV. An ignorans inculpabiliter ea duo mysteria sit capax absolutionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

habeat sufficientem notitiam horum mysteriorum, neque potest habere attentionem, vt doceatur?

16. Respondeo, in illo casu debere absolvi, saltem sub conditione, cum non sit certum, illum esse indispositum, aut incapacem absolutionis. Et in dubio tutior pars pro salute moribundi eligenda est.

17. Inquires secundo, quid facere debeat confessarius, qui certus est, rusticum moribundum ignorare hæc Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & videt, illum ita esse gravatum infirmitate, vt instrui nequeat; qui tamen signa contritionis edidit, & confessionem postulavit? Qui censent, Fidem explicitam horum mysteriorum esse necessariam necessitate medij ad iustificationem; neque sufficere eam Fidem in voto, forte censent hunc hominem non posse consequi salutem, atque adeo non esse absolvendum, etiam sub conditione.

18. Sed dicendum est, eum debere absolvi, saltem sub conditione. Et ratio est; quia non est certum, illum esse indispositum; est enim probabile, Fidem explicitam horum mysteriorum non esse necessariam necessitate medij in re, sed sufficere in voto, vt tenet quarta sententia cap. 1. relata; atque adeo non est certum illum esse indispositum ex defectu huius Fidei explicitæ. In hac ergo incertitudine tutior pars eligenda est pro salute aeterna moribundi.

19. Dices, hanc resolutionem adversari damnationi præfatæ propositionis 64. Ex illa enim asserendum est tamquam certum, rusticum culpabiliter ignarum horum mysteriorum non esse capacem absolutionis; sed ille rusticus baptizatus, quamvis in sylvis sit enutritus, culpabiliter ignorat ea duo mysteria, cum debuerit ea addiscere:

ergo in capax est absolutionis, etiam si moribundus sit. Sed huic obiectioni melius satisfacet cap. vlt.

C A P V T IV.

An ignorans inculpabiliter ea duo mysteria sit capax absolutionis.

SUMMARIVM.

Incapax est absolutionis etiam qui dum vivit, ignorat inculpabiliter hæc duo mysteria. num. 20.

Contrarium subiacet damnationi. num. 21.

Obiectio de ignorantia omnium mysteriorum. num. 22.

Solutio ex notitia mysteriorum, quæ sunt præcipua. num. 23. & 24.

Moribundus inscius horum mysteriorum, & incapax instrui, absolvi potest. num. 25.

20. **S**It prima conclusio. Qui dum vivit, inculpabiliter ignorat hæc duo Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis incapax est absolutionis, adeo vt confessarius id advertens peccet gravissime, absolvendo; & poenitens petendo absolutionem. Et ratio est: quia dum accedit ad confessionem, vt sibi remittantur peccata sua, non potest moraliter contingere, vt non agnoscat incuriam suam in addiscendo aliquid de doctrina Christiana. Quid enim de eâ scire potest, qui hæc ignorat? Confessarius autem non potest moraliter non advertere rusticitatem, & inscientiam hominis; atque adeo facile intelliget, quam sit ignarus horum Mysteriorum. Tenebit ergo confessarius ad instruendum illum prius quam absolvat, & si poenitens renuerit, iam ignorantia erit culpabilis.

Ccccc 2 An

An autem valida sit absolutio, si neuter advertat; dicam cap. seq.

21. Sit secunda conclusio. Propositio asserens, quod homo, dum vivit, est capax absolutionis, etiam si inculpabiliter ignoret hæc mysteria, subiacet huic damnationi. Probat. Nam propositio damnata prima pars asserit absolute esse capacem absolutionis eum, qui ignorat mysteria Fidei, sine distinctione ignorantia culpabilis, aut inculpabilis: ergo sive ignorantia sit culpabilis, sive inculpabilis, damnata manet ea propositio.

22. Dices cap. 1. dictum est, sensum eius primæ partis esse de eo, qui ignorat omnia mysteria, vel omnia præcipua; sed qui habens notitiam Dei ut remuneratoris, est ignarus Trinitatis, & Incarnationis; non autem ignorat omnia mysteria præcipua cum habeat notitiam Dei ut remuneratoris: ergo non subiacet damnationi propositio asserens, quod ignarus horum mysteriorum duorum inculpabiliter, est capax absolutionis.

23. Respondeo, illum terminum *omnia mysteria* posse accipi cum suppositione copulativa, vel cum suppositione copulata. Cum suppositione copulata sumitur, si sumatur collective, ita ut sensus decreti sit, esse incapacem absolutionis, qui ignorat omnia collective; capacem vero, qui non ignorat omnia simul, dummodo habeat notitiam alicuius. Cum suppositione copulativa sumitur, si sumatur distributive, ita ut sensus decreti sit, esse incapacem absolutionis eum, qui ignorat quodlibet ex præcipuis.

24. Dicimus ergo, sensum propositionis damnatae circa eum terminum *omnia mysteria, vel omnia præcipua*, esse distributivum, & damnatur, quatenus affirmat, esse capacem absolutionis, qui ignorat quod-

libet ex præcipuis. Probat. Nam alienum est à mente Pontificis, quod ille, qui habet notitiam unius dumtaxat mysterij, nempe Dei ut remuneratoris sit capax absolutionis, sed si sumatur ille terminus *omnia mysteria præcipua* cum suppositione copulata, decretum Pontificis reddit eum sensum, quod non ignorans omnia simul sit capax absolutionis, ut constat ex proxime dictis: ergo ea propositio damnatur intellecta cum suppositione copulativa, sive distributiva.

25. Dico tertio. Moribundus inculpabiliter inscius horum mysteriorum, qui ita morbo opprimitur, ut instrui non possit, capax est absolutionis, saltem conditionalis. Probat. Quia cum non sit omnino certum notitiam horum mysteriorum duorum esse necessariam necessitate mediæ adiustificationem, non est certum quod illi non proderit absolutio; sed dum id incertum est, debet conferri moribundo absolutio, saltem sub conditione, quia in quavis incertitudine debet confessarius sequi opinionem tutiorem pro salute æternæ moribundi: ergo præfatus moribundus capax est absolutionis, saltem conditionalis.

